

I. N. D. O. M.  
*Dissertatio Gradualis,*  
Continens  
*Animadversiones in Opiniones*  
De  
*Antipathia Gentium,*

---

Quam  
Conf. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,  
Praefide  
Mag. JOHANNÉ BILMARK,  
Histor. ac Philosoph. Pract. Professore Reg. & Ord.

Publice ventilandam offert  
JOHANNES HENRICUS NORRING,  
Stip. Reg. Viburgensis.

In Auditorio Majori  
Die XIX. Junii An. MDCCLXXXIX,  
H. A. M. C.

---

Aboæ Typis Freuckellianis.

S:æ. R:æ. M:tis  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
*Dioceſeos Borgoëniſis Epifcopo,*  
*Ven. Conſistorii Præſidi,*  
*Gymnaſii Scholarumque Ephoro,*  
*S. S. Theolog. Doctõri Celeberrimo,*  
*Reverendiſſimo Domino*

**PAULO KROGIO,**

MÆCENATI MAXIMO,

**SACRUM.**



§. I.

**I**n causas phaenomenorum, in mundi hujus adspicibilis theatro occurrentium, inquirentes, satis deprehendimus, quasdam earum a nobis posse detegi, alias vero, utpote abstrusiores, variis hypothesebus ac prolixis inter eruditos disceptationibus occasionem dedisse. De veteribus constat Philosophis, multos eorum, quum in nulla cognitionis humanae parte hospites videri vellent, eruditionis opinionem tuituros, de veris effectuum naturalium causis detegendis & explicandis non tam laborasse, quam de terminis inveniendis, suo de causa propositi phaenomeni exprimendo conceptui idoneis, fuisse sollicitos. Prolixe igitur inter alia in suis scriptis de corporum amore & odio, seu sympathia & antipathia, egerunt, ex qua utraque recte intellecta rationes effectuum quorumvis reddi posse arbitrabantur; sed qui desiderio lectorum in litteris proficiendi satisfacturi, pro-

be prius ostendere debuissent, singulis corporibus a natura insitas esse vires, memoratis adfectibus humanis analogas. Negari quidem non potest, quin phænomena cujusdam inter corpora quasi antipathiæ ex regno tam animali quam vegetabili produci soleant, sed quæ tamen rem totam, saltem uti nobis videtur, non efficiunt. Sic canis ægre quidem plerumque fert felem; causam vero hujus rei non esse mutuam quandam his animalibus a natura inditam antipathiam, comprobatur experientia, docens, hæc animalia subinde inter se colere familiaritatem, modo cibum simul capere non cogantur, cane, animali voraci, æmulum tunc persequente convivam. Plantas quoque nonnullas viciniam aliarum adeo non ferre, ut propter hanc contabescant primum, & paulo post emoriantur, perhibent Historici naturales. Hoc autem phænomenon absque adsumta mutuæ cujusdam antipathiæ hypothesi explicari potest, scilicet vel quod succus nutritius, qui intra definitam invenitur aream, utrisque non sufficiat, vel quod effluvia unius luxent alterius compagem. Quicquid horum sit, pro comperto habemus, quod si ab humano discedamus genere, nec animalia nec vegetabilia ejusdem speciei noxam quandam sibi invicem adferant, nisi illa interdum vel nimia inedia vel æstu agitentur Veneris, vel alio quodam modo extra statum projiciantur naturalem. Singula tamen hujus universi corpora ad suos peculiare, eosdemque exsa-  
pien-



pietissima Numinis institutione diversos tendunt fines, aliaque aliis sunt ita subordinata, ut ex unius destructione dependeat alterius conservatio; sed ex hac apparente contrarietate, in qua Oeconomia elucescit quam maxime harmonica, non sequitur, naturalem quandam inter certa corpora esse repugnantiam, alia utique ratione se manifestaturam.

§. II.

Ne in quendam logomachias labyrinthum incidamus, statim monendum duximus, quod per antipathiam intelligamus illam inter duos vel plures homines averfionem, qua illi ex præsentia & adspectu mutuo molestiam, cujus causa vel occulta adhuc vel saltem dubia est, sentiunt. Notum forte est, diversas antipathiæ species ab eruditis constitui, eamque Physice, Anthropologice & Ethice considerari; sed quarum explicatio ad nostrum non spectat institutum, observantes tantummodo, quod ideam sensationis, ex antipathia ortæ, plerumque obscuram, raro habeamus confusam. Suffragatur nobis experientia, ex qua constat, quod ad hujus vel illius hominis, nobis forte occurrentis, & nec qua nomen nedum mores cogniti, adspectum ita non raro conturbemur, ut molestiam inde, incertum unde præcipue repetendam, sentiamus, adeo ut cum Poëta exclamare necesse habeamus: *Non amo te, Volusi, nec possum dicere quare - - Hoc unum possum dicere, non amo te.*

Vincere conor istam averfationem, in fubfidium vocans motiva quævis adfectui emolendo infervientia, adeo ut pro me ipfo etjam fim mendax, his tamen moliminius nihil proficio; fed in eodem hæreo antipathiaæ cœno. Nec vox, nec forma, nec geftus, fi feorfim fpectentur, displicet; eft tamen aliquid in toto, mihi plane inenarrabile, quod naufeam movet. Verum hæc antipathia eft plerumque indiividualis, fi ita loqui liceat; quum fieri foieat, ut qui uni displicet, aliis placeat, & ambitiofi dentur proci, fparfa etjam Philumenarum ora admirantes. Memorantur infuper exempla familiarum, quæ perpetuas inter fe aluerunt fimultates, fed quarum antipathia magis plerumque fuit nominalis, quam personalis, certe non naturalis, orta videlicet ex opinione obligationis, injurias vel fibi vel fuis cognatis illatas ulcifcendi. Longius adhuc progrefsi funt alii, exiftimantes, inter quasdam gentes dari antipathiam & acerrimam & per feculorum decurfum interdum continuatam, cujus origo an ex cauffis vel naturalibus vel politicis fit arceffenda, in fequentibus difquiremus.

### §. III.

Ut iuftum in hac difquifitione fervemus ordinem, a fingularibus ad generalia progrediemur; primum itaque vifuri, an finguli homines per naturam ducantur ad quandam inter fe antipathiam fovendam? Quocirca ftatim obfervo, quod tam per revelatio-

lationem, quam per rationem ac domesticam experientiam quisque de sua in malum propensione convincatur, hæc tamen in plerisque non eo usque valeat, ut alios, a quibus vel nihil mali metuunt, vel injurias ac damna non acceperunt, protinus averfarentur. Esto etjam, ut alter aliis displiceat & adeo contemnatur, ut hi illum ægre ferant; attamen quum mutabile fit hominum ingenium, fieri non raro solet, ut quando eundem ex ea, qua præcipue valet, parte considerent, meritorum ejus jubar agnoscant, damnantque proinde priorem animi levitatem & iniquam in eum conceptam antipathiam. Quis, quæso, ignorat, quod Lacedæmoniorum Rex, *AGESILAUS*, a suis sperneretur in initio civibus, quod pusillus & claudus altero esset pede? qui vero virtutem ejus noverant, non potuerunt eum admirari satis. Et quum ferocia animalia, præsertim si ejusdem sint speciei, se invicem vix unquam persequantur, seu supra monuimus, naturalem quandam inter homines urgere antipathiam, quid, quæso, esset aliud, quam Deum optimum malevolentiae arguere, & homines infra brutorum detrudere sortem? Adhæc si sensum in nobis moralem consulamus, experimur, nos infortunis atque miseriis non tantum ignotorum, sed eorum quoque, qui non unam nobis crearunt molestiam, commoveri, quod satis indicat, sympathiam inter homines esse naturæ convenientem, adeoque antipathiam eidem repugnare. Denique quum ex præcepto



legis naturalis obligemur ad alios homines, ne inimicis quidem exceptis, amandos, motivumque hujus officii sumatur ex studio unicuique connato, suam augendi felicitatem, cui provehendæ nos non sufficimus soli, alios autem nonnisi amicitiae & beneficentiae pignoribus nobis devincire possimus; evidens est, nullam a natura hominibus inditam esse antipathiam.

§. IV.

Qui gentium quarundam antipathiam ex naturalibus potissimum causis derivandam esse opinantur, ad climatam in appetitus, aversiones & mores hominum provocare solent influxum, nec diffiteri potest quisquam, quin admodum sint ingeniosa, quæ de eodem copiose disserit Illustris MONTESQUIEU (a). quæ tamen rationis & experientiae limam non sustinent. Quamvis enim non negemus, quin atmosphaeræ qualitas in valetudinis nostræ conditionem haud parum influat, animumque nostrum modo hilarem reddat, modo dejectum; naturales tamen animi nostri adfectiones ex ipso tanto minus repetendæ sunt climate, quanto constat certius, eadem in hominibus, qui eandem incolunt regionem, imo inter ejusdem familiarum circum non raro esse diversas. Sita est Italia nostro ævo intra eosdem parallelas, quibus olim fuit terminata, adeoque clima quam proxime idem utroque admittendum erit tempore; nihilo tamen  
mi-



minus tanta est discrepantia inter cives veteris Reipublicæ Romanæ & subditos Papæ Romani, quanta esse solet, dum est maxima. Hoc autem loco excipiat forte quisquam, climatis Italici constitutionem successu temporis fuisse mutatam, proindeque incolarum diversam animadverti indolem; huic respondeamus objectioni, nos non plane inficiari, quin clima per terrarum culturam aliquantum mitescat, attamen longe major cernitur animorum, quam climatis variatio. Allatæ vero experientiæ addamus aliam, quæ rem conficit totam. Notum est, respublicas Græciæ quondam florentissimas, Atheniensem & Lacedæmonicam, inter eosdem fere parallelis fuisse sitas, & magnam tamen inter cives utriusque fuisse antipathiam, in syncretismum tunc versam, quando utrique ab hostibus immineret exitium. Ex quibus concludimus argumentis, ut alia scientes prætereamus, climata frustra incusari antipathiæ inter quasdam gentes, vix ulla præsertim inter nationes diversorum climatum animadversa, quæ inter vicinas cernitur fati frequens.

(a) Vid. *L'Esprit des loix Tom. II m. 65.*

#### §. V.

Caussam antipathiæ gentium naturalem, in diversitate temperamentorum, quæ in variis prædominantur Nationibus, alii se invenisse putant, quam opinionem sibi defendendam sumsit inclytus N. H. GUND-

**GUNDLINGIUS** (a). Per temperamentum autem intelligimus aptitudinem partium tam solidarum, quam fluidarum corporis humani ad circulationem sanguinis perficiendam. Quatuor constitui solent temperamenta cardinalia, *Sanguineum, Cholericum, Melancholicum & Phlegmaticum*; simul tamen, prævia experientia, fatentur eruditi, vix ullum inveniri mortaliū, unico tantum jam commemoratorum gaudentem, sed eadem admiranda mixtura ac graduum diversitate in quolibet reperiri homine. Imo constat, hominis temperamentum pro mutato vitæ genere & ætatis ratione mutationi esse obnoxium. Posita itaque tanta, quanta omnino ponenda videtur, temperamentorum disparitate, fieri non potest, ut generali Nationis temperamento recte definiendo humana sufficiat sagacitas. Prolixam quidem inter Gallum & Hispanum comparationem attulit **GUNDLINGIUS**; sed quum præcipua ejus momenta concernant peculiare utriusque Nationis consuetudines ac mores, qui ex aula regnatrice ubivis fere terrarum colorantur; patet, non ex temperamentorum diversitate, sed partim ex placitis institutis, partim ex rationibus politicis, de quibus mox plura dicemus, causam antipathiæ inter ambas has Nationes esse repetendam, eamque proinde civilem esse, non naturalem.

(a). Vid. imprimis *Otia Gundlingiana Tom. I. p. m. 81 & seq.* & quem ille sequitur *De La MOTHE Le VAPER Oper. Tom. IV. Part. II. p. 325. seq.*

§. VI.

Quamvis Religio ex sua indole ac Divina institutione tam ad gloriam Numinis provehendam, quam ad animos hominum mutuis inter se amicitiae vinculis conjungendos tendat; non raro tamen contingit, ut multi, sub specioso caussa Dei agendi praetextu, adfectibus litarent ferocissimis, & quos ad meliorem deducere debuerunt frugem, eorum plerosque, ex ambitione & avaritia, diluvio sanguinis submergerent; adeoque ipsa philanthropica Religio fieret non levis antipathiae gentium causa. Neminem, nisi in Historia plane hospes fuerit, ignorare arbitramur, gravissimam inter Mexicanos & horum vicinos usque ad irruptionem Hispanorum fuisse antipathiam, inde ortam, quod illi Vizlipulium cultum cum nefariis ritibus ac sacrificiis prorogare, atque his, eundem ceu abominabilem habentibus, obtrudere vellent, nec non hunc animorum dissensum in internecina erupisse bella. Nec minus constat, Peruanos & horum vicinos ex antipathia laborasse & gravissima inter se gestisse bella, quod hi superstitioso, quem illi sibi obtrudere voluerunt, refragarentur cultui. Notum quoque est, plurimum ferociae ac misanthropiae Religioni Christianae eos admiscuisse, qui Pontificem Romanum, ut Christi in terris vicarium, suspiciunt, pietatis non raro censentes opus, humanitatis jura adversus suos etiam cives, in quibusdam Religionis capitibus a se dissen-

B

tien-



tientes, violare. Horremus adhuc ad nomen nuptiarum Parisiensium, in quibus antipathia Catholicorum in Protestantes versa fuit in rabiem, in barbaris vix auditam populis; cujus quidem odii indicia in Gallia iterum iterumque gliscunt, Clericis quibusdam omnem navantibus operam, ut, quantum in se est, sortem Protestantium reddant asperrimam, eosque impediunt, ne ad plenam jurium civitatis fruitionem perveniant.¶

§. VII.

Causam quoque antipathiae, inter gentes animadvertae, in diversitate vitae generum atque institutorum publicorum invenimus haud levem. Ea enim est pleborumque hominum indoles, ut sua, longo praesertim usu ac populari consuetudine comprobata, sibi placeant, aliosque proinde contemnant, apud quos diversa invaluerunt vitae genera. Dabimus quoque non nulla antipathiae, ex hoc provenientis fonte, exempla. De veteribus Aegyptiis in Historia Sacra memoriae mandatum legimus, quod Israelitas, qui armentorum ac pecorum erant pastores, adeo non tulerint, ut hos averfarentur, nec eidem cum his mensae accumberent, Gen: XLVI: 34, XLIII: 32. Quod mirum primo videri potest intuitu, quod Aegyptii sollicitam praemultis gentibus pecorum agerent curam, eademque ut sua colerent numina. Hujus autem antipathiae ratio in eo consistebat, quod Israelitae haec immola-

rent



rent animalia, & mactatorum vescerentur carnibus; utrumque autem Ægyptii putarent abominabile. Præterea vix quempiam fugit, quosdam populos exiguum adeo pretium artibus olim statuisset manuariis, ut harum culturam infimæ civium parti committerent. Decætero in gentium mores, quorum disparitas antipathiam earum producit, multum publica influunt instituta, præcipue ipsæ regiminis formæ. Antipathiæ illius inter Athenienses & Lacedæmonios, cujus supra fecimus mentionem, causam in diversitate eorum institutorum nos invenisse putamus. Illi enim commercia cum aliis exercuerunt Nationibus, artium elegantiorum culturam magnopere promoverunt, vitæquæ commoditate, quam sibi industria paraverant, suaviter dum licuit, fruebantur; his autem opum acquisitio & usus adeo fuit interdictus, ut lætius ac liberius in castris, quam inter suos viverent lares: illi igitur hilares ac faciles, hi autem morosi & duri; illorum molimina in suam felicitatem, horum vero in aliorum oppressionem præcipue fuerunt directa; unde dissensionum inter vicinas gentes fomes. Quum denique in Despotico imperio valor incolarum civilis sit quasi nullus; in formis autem temperatis valor civium, in partem utpote imperii subinde venientium, non sit levis symbolæ, mirum non est, si hi, suam æstimantes fortem, conditionem mancipiorum despiciant, aut si Græci libertate gaudentes civili, devotos Regum Persicorum servos, nihil ne sua quidem corpora habentes, non ferrent.



## §. VIII.

Caussis antipathiæ gentium hæctenus allatis, duas alias, easdemque, ut nos opinamur, præcipuas addere licet, æmulationem Imperii & acceptas injurias gravissimas. Quum in æmulatione tres adfectus nobis parum benigni, tristitia, invidia atque odium convenient, iidemque pro ratione quantitatis boni, quod contentions suæ scopum statuunt æmuli, vires animi & corporis intendant, summum autem bonum civile communiter habeatur imperium, Principum contentiones omni ævo fuerunt acerrimæ. Quid? quod dentur exempla non pauca insignium virorum, jura Divina & humana parum erga æmulos curantium, sed media censentium justa, modo ad propositam deducerent metam, exprobatones sibi forte factas hæc emollientium excusatione, se in honorum culmine aliquando emendaturos quicquid iniqui in arduis ad gloriam gradibus commiserint. Sed Nationum expendamus exempla. Quamvis Romani & Carthaginenses habitarent terras, alio quasi sole calentes, mari disjuncti Mediterraneo; attamen quum unaquæque civitas esset quasi domina suæ orbis partis, acerrima inter utramque enata est æmulatio, neutra se fatis felicem censente, nisi parem alteram oppressisset. Hinc funestissima inter ambas has gentes iterum iterumque exorta sunt bella, nonnisi cum Carthaginis excidio finita. Omnium autem maxime mortalium pectora coquunt injuriæ præter meritum, & alienissimo alterutri parti tempore illatæ, quæ proinde anti-

antipathiae & bellis occasionem præbuerunt atrocissimis; quo circa docet experientia, quod licet bellorum vis per foedera tandem fuerit imminuta, in animis tamen partis primum læsæ & hujus nepotum remanserit antipathiae aculeus, ne quidem post seculorum decursum inde evulsus.

§. IX.

Nostram illustraturi disquisitionem, necessaria ex antiqua præcipue Historia depromsimus exempla, quibus quum non minus luculenta annales superiorum seculorum suppeditent, nonnulla quoque ex his petita nunc expendemus. Inter Portugallos & Hispanos multam antipathiam, raram amicitiam ac benevolentiam invenimus. Hanc animorum dispositionem ex climate, in utroque regno propter situm intra eosdem fere parallelis eodem, aut ex ingeniis civium aut regiminis forma, utpote non valde dissimilibus, ego non areesserem. Nec veram dissensus inter hos populos causam a remotissimis repetendam esse temporibus existimo. Me quidem non fugit, Lusitaniam olim fuisse Hispaniæ provinciam, Portugallosque copiis & opibus valentes, potestati Hispanorum se subduxisse, propriumque, his forte ingratis, sibi constituisse regem; sed ne quidem post hanc rerum conversionem indicia gravis inter utramque Nationem antipathiae animadverto. Exstincta autem cum Portugalliæ Rege HENRICO Cardinali familia masculina Burgundica, nullo a, eo successore nominato, postquam Hispaniæ Rex PHILIPPUS II regnum occupasset Portugalicum, ex hac regnorum unione



tantam infortuniorum, malorum, injuriarum ac calamitatum sub tribus Philippis, Hispaniæ Regibus, horum partim astutia, partim fœcordia, Portugalli miserunt segetem, quanta ad ultimas redacti fuerunt incitas. Nemo igitur miretur, pectora civium, non ea modo viventium tempestate, sed velut per traducem, eorum posterorum adeo fuisse exulcerata, ut cicatricem nondum duxerint. Imo quamvis frequentia inter Regias Domos pacta connubialia avitam harum Nationum antipathiam imminuerint; attamen, quum Portugalli sciunt, se sudem in oculis Hispanorum esse, hos esse, quorum præcipue timere debeant potentiam, veteresque horum in Portugalliam prætensiones non ita esse sopitas, quin data gliscere queant occasione, omnem antipathiæ harum gentium fomitem nondum esse sublatum, quisque facile animadvertit.

§. X.

Antipathiam gentium vix magis conspicuam, quam quæ inter Gallos & Hispanos intercedat, dari, multi opinantur; de causa autem hujus dissensus haud parum disputant Scriptores. Quid de opinione CAROLI GARSLÆ, diabolum hujus antipathiæ auctorem proponentis (a), sit sentiendum, dispiciant alii. Nec rem acu tetigisse illi videntur, qui harum Nationum discrepantiam deducunt vel ex diversitate soli cœlique in utroque regno, quum Gallia ab Hispania per montes tantum Pyrenæos determinetur, vel ex temperamentorum disparitate, quam sententiam supra examinavimus. Fatemur equidem, magnam in



in utraque gente animadverti morum diferepantiam, sed cujus ratio ex causis præcipue civilibus, & speciatiim ex diversa constitutione politica nobis videtur repetenda, Gallis tanta gaudentibus libertate civili, quantam Hispani, jugo inprimis Ecclesiastico graviter pressi, sibi exoptare vix audent. Quibus causis addimus continuam fere imperii æmulationem. Docet enim Historia, antipathiam inter has gentes vetustissimis vix compertam temporibus, inter eas gliscere cœpisse sub Imperatore CAROLO V & Rege FRANCISCO I, quorum alter non tulit parem, neque superiorem alter. Æmulis enim utriusque Nationis studiis, præcipue vero gravissimis inter has nationes bellis, quibus suas non sine mutuo utrinque dispendio librarunt vires, maximam in se conceperunt antipathiam (b). Enimvero si veritatem profiteri liceat, antipathia ista non tam Nationum, quam Principum fait, quibus elasticum canentibus, cives quoque eandem dissonam inllarunt tibiam. Vanam autem hanc non esse præsumtionem, vel inde constare arbitror, quod, postquam Britannorum vires terra & præcipue mari ita increverant, ut hi Gallis & Hispanis, imo his conjunctis palmam redderent dubiam, pristina antipathia in syncretissimum, pro præsentis rerum in Europa publicarum statu maxime necessarium utrinque habitum, fuerit mutata.

(a) Vid. *Libr. dall Antipathia de Francesi e Espagnoli.*

(b) Quamvis *Gundlingius* præcipuam antipathia inter Gallos & Hispanos causam nominet diversitatem tempera-

peramentorum utriusque Nationis, juxta hanc tamen ponit gravissima & fere continua eorum Bella, Vid. *Libr. supra cit. p. 93.*

§. XI.

Coronidis loco nonnullas etiam de antipathia inter Suecos & Danos, a MESSENO O a terrimis & polioris, quo vivimus, seculo non nominandis coloribus descripta, nunc adferemus observationes. Quum itaque uti concordia inter fratres rara, ita amicitia inter vicinos sit rarissima, nemo miretur inrer vicinas gentes frequentia barbaris seculis exorta fuisse bella, eademque diuturnioris inter eas antipathia prae buisse materiam. Maxime vero utriusque populi animi per infelicem unionem Calmariensem fuerunt exacerbati, Danis, ista durante, quamlibet captantibus occasionem, sociam opprimendi Nationem, viresque & opes ejus exhauriendi, Suecis contra studiose contendentibus, amissam libertatem ac conclamatam fere salutem recuperare. Hinc eridis pomum, per plura non concoctum secula. Hanc tamen antipathiam non perpetuam fuisse constat. Quum enim & Rex Svethiaë GUSTAVUS I. & Daniaë Rex CHRISTIANUS III æqualiter timerent CHRISTIERNI II technas, & animos & vires contra communem conjunxerunt hostem, exemplum præbentes amicitiaë, inter vicinos principes oppido rarissimaë. Quisquis etiam relationem horum regnorum, qualis spatio sexaginta octo fere ab hinc annorum fuit, consideraverit, fatebitur certe antipathiam harum gentium non esse naturalem. Disquisitionem itaque hanc verbis finio acutissimi *BAYLII*: *Laissez à des nations voisines la difference de Mœurs & d'usages; ôtez leur la jalousie & Paffection ou d'égalité ou de superiorité, & faites que les mêmes interets d'Etats les regardent, vous les verrez sympathiser en peu de tems & charrier bien ensemble (a).*

(a) Vid. *Reponse au question d'un Provincial Tom I. p. 102.*